



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 92. Consalvus in Hispaniam reverti jussus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

fide exequentibus, Archidux respondit: scul. XVI.
A.C. 1505.
 „ Non convenit mihi, ut Soceri mei nu-
 „ ptis obsistam, aut eidem leges dictem,
 „ cum vero Lopezius ex famulis meis
 „ mercede conductis unus sit, pro jure
 „ meo eum propter scelera sua custodiæ
 „ tradi jussi, ejusque impudentiam ca-
 „ stigabo. „

§. XCII.

*Consalvus in Hispaniam reverti
jussus.*

Post hæc Comes de Cifuentes, quem
 Ferdinandus Oratorem suum in Fran-
 ciam nominavit, Hispania profectus die
 duodecima Octobris Blefi in Galliis fœ-
 deri subscripsit, quod idem die decima
 sexta ejusdem mensis Segoviæ utrinque
 ratum habebatur. His peractis Ferdi-
 nandus confestim probatæ fidei virum in
 Italiam decrevit, qui Consalvo pacis con-
 fectæ nuncium deferret, juberetque, ut
 nulla mora in Hispaniam reverteretur;
 cum ibi maxime necessaria essent illius
 consilia; interea autem Rex clam Cæ-
 sar-Augustanum Archiepiscopum Neapo-
 lis Pro-Regem nominabat; Consalvus
 accepto nuncio pacem promulgari jussit,
 atque Legato respondit, se sine moræ di-
 spendio in Hispaniam rediturum, quod
 tamen minime exequabatur, sive quod
 cun-

Sæcul. XVI. cunctatione Ferdinandi animum mutari
A.C. 1505. speraret, sive quod tempestatis injuria
 navem conscendere prohiberetur: inde
 nata est ejus inimicis nova Consalvum
 criminandi occasio. Hic quidem tum
 Lopezium de Vergara suum a Secretis
 Ministrum in Hispaniam ablegavit, ut ab
 ipso Rex Catholicus de rerum statu in
 Neapolis Regno edoceretur, eique Pro-
 Regis sui fides, atque integritas testata
 fieret. Verum cunctis, iisque splendi-
 dis Lopezii verbis exigua admodum fi-
 des adstruebatur.

§. XCIII.

*Raymundi de Perault Cardinalis
obitus.*

Gall. Christ.
Gall. purp.
Aubery hist.
Card.
Hoc anno die quinta Septembris Ray-
 mundus Peraultus Cardinalis, Vi-
 terbii mortalitatem exiit, annos natus
 septuaginta. Studiorum cursum in Gym-
 nasio Navarrico, cujus alumnus erat,
 adeo felici progressu confecit, ut juxta
 nonnullorum opinionem ejusdem Colle-
 gii Doctor creatus fuerit. Inde Romam,
 quo negotio ignoratur, profectus, ab In-
 nocentio VIII., qui viri merita perspecta
 habuit, nuncius in Germaniam decernit
 tur ad colligendas pro bello Turcico
Chron.
Spanheim.
ann. 1502.
 Fidelium eleemosynas, minus prospero
 tamen Legationis suæ successu; nihilo-
 minus